



**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

VI. An Theologia sit practica, an speculatiua, an vtraque simul?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

tionem formalem communem, ut ex Philosophia suppono. Ad 2. Nego Maiorem: Nam de Deo agit Theologia primario, de creaturis vero secundario, & in ordine ad Deum.

94. Ad Fundamentum 2. Patet ex dictis: falsum enim est principium naturale specificè variate adæquatū motuum assensus Theologici; quippe quod ad assensum non concurrat, nisi ut virtualiter reuelatum, & implicite cōtentum in ipsa propositione expressè reuelata, sub qua ratione omnia principia naturalia conueniunt. Ad Confir. Nego consequentiam: Nam maior illa certitudo, qua vna conclusio Theologica differt ab alia, non est diuersæ speciei; quippe cum vtraque pendeat ab eadem reuelatione virtuali, sed maioris duntaxat intentionis intra eundem gradum certitudinis Theologicæ.

SECTIO VI.

An Theologia sit practica, an speculatiua, an vtraque simul?

95. **A**D Definiendum, an Theologia sit practica, an speculatiua, definiendum prius est, quid practicum, quid speculatiuum sit. Est autem speculatiua scientia, teste Philosopho 2. Metaphysices cap. 1. intrinsecus finis veritas; practica vero opus. Opus igitur quod & *regis* Græcè dicitur, obiectum est practicae scientia: sicut & veritas, ipsa videlicet rei notitia, obiectum est speculatiue scientia: Vnde hæc gratia sui esse dicitur, quia suæ solius contemplationis causâ est; illa vero gratia alterius, quia consistit in sola veritate sui obiecti cognoscenda, sed ulterius tendit ad actum, seu opus à se distinctum dirigendum regulandumve: Vnde quidquid est intellectualli notitia regulabile, siue dirigibile, obiectum est practicae scientia. Quare falsò Scotus q. 4. Prologi §. dico igitur, ab obiecto practicae scientia excludit actum intellectus; definiens praxim, ad quam cognitio practica se extendit: esse actum alterius potentia, quam intellectus, naturaliter posteriorem intellectioni, natum elici conformiter rationi recte, ad hoc ut sit rectus: etenim non solum operationes externæ, internæque appetitus, sed ipsæ etiam operationes intellectus sunt regulabiles, & dirigibiles per notitiam practicae priorem; ut omnes speculatiue scientiae practice diriguntur per Logicam, cuius est omnes scientias regulare, & per certas regulas syllogisticæ formæ dirigere. Item omnes actus scientiarum sunt moraliter regulabiles à virtute studio sitatis; cuius est certum modum in studendo præscribere iuxta regulas prudentiæ.

96. Ex his colligitur 1. In actibus duplicem reperiri posse rectitudinem, alteram moralem in ordine ad mores; alteram artificialem in ordine ad artem. Potest enim interdum opus rectum esse secundum artem, obliquum vero secundum mores: & vice versâ, re-

ctum secundum mores, si recto fine & intentione fiat, obliquum vero secundum artem, si regulas artis non attingat.

97. Colligitur 2. Non solum actiones, & factiones, quæ sunt circa externa opera, sed ipsas etiam speculationes esse obiecta scientia practica, ac proinde praxes, sub diuerso tamen respectu: Nā dicitur speculatio, quatenus est cōtemplatio veritatis; praxis verò, quatenus ipsa veritatis cōtemplatio regulatur à scientia practica secundum circumstantias loci, temporis, & modi speculandi.

98. Colligitur 3. Non sat esse, ut scientia sit practica, ut versetur circa obiectum suapte natura operabile, quauis hoc necessariò requiratur; sed necessarium præterea est, ut versetur modo practico. Etenim dupliciter versari potest notitia circa obiectum operabile, vno modo cognoscendo tantum naturam ipsius; alio modo dictando de modo ipso, quod tale opus est factibile. Prior est cognitio speculatiua, posterior practica.

99. Colligitur 4. Notitiam practicam supponere in ipso sciente liberâ facultatem exercendi opus, cuius notitia ipsa practica est directiua. Defectu huius facultatis non est in Angelis practica scientia de castitate, eò quod nulla in ipsis sit facultas eliciendi castitatis actus. Defectu liberæ facultatis nequit de nutritione & augmentatione esse scientia practica in homine, quia tales actus non sunt in libera potestate hominis, atque adeo nec ab ipso practice dirigibiles.

100. His adnotatis, difficultas est, an Theologia nostra sit practica, an speculatiua, an vtraque simul. Suppono autem ex cōmuni sententia scholasticorum, contra *Agilium* & *Argentum* q. ult. Prologi & *Argentum* q. 4. artic. 3. scientiam adæquarè diuidi in speculatiua & practica, nec dari tertium genus scientiæ, quæ nec sit practica nec speculatiua, sed tantum affectiua, qualem præcitati Auctores contendunt esse nostram Theologiam: eò quod illa pro obiecto respiciat affectionem seu dilectionem Dei: quæ nec est speculatiua, cum sit nobilior speculatione; nec practica, cum eius obiectum non sit operabile à nobis. Etenim falsum est Theologiæ nostræ obiectum esse dilectionem Dei; & esto sit, illam neque esse speculatiua: neque practica: nam aut versabitur circa illam contemplando naturam ipsius, & sic erit speculatiua; aut dirigendo media ad ipsam consequendam, & sic erit practica. Neque ad hoc, ut scientia sit practica, requirit ut immediatè possit operari circa finem, sed sat est si operari possit circa media, quibus finem consequimur; alioqui nulla virtus, quæ circa Deum versatur, posset esse practica: eò quod nulla virtus immediatè operari possit circa Deum. Hoc autem supposito,

101. PRIMA Sententia docet Theologiam nostram essetatum practica est Scoti q. 4. Prologi §. ad quam igitur. Aureoli q. 3. art. 1. & aliorum. Fundamentum est: quia omnis Theologica notitia ordinatur ad cōsecutio-

Aristoteles.

Scotus.

Agilium.
Argentum.

nem ultimi finis: ergo omnis Theologica notitia est practica: ergo & habitus ex ea genitus. Posterior consequentia claret: quia habitus gignitur ex actibus. Prior patet: quia illa notitia est practica, quæ non est gratia sui, sed est directiva alterius actus operationis. Antecedens probatur: quia omnis Theologica notitia, est de obiecto homini à Deo reuelato. Atqui omne obiectum homini à Deo reuelatum, ultimè dirigitur ad consequentem ultimi finis. Maior est certa: quoniam Theologiæ principia sunt veritates ipsæ reuelatæ. Minor constat: Nam obiectum homini à Deo reuelatum est sacra scriptura, quæ tota dirigitur ad consequentem ultimi finis per obseruantiam præceptorum, iuxta illud Christi Domini Matth. 22. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Propheta.* Confirmatur, quia Theologia est quædam scientia directiva omnium virtutum; dirigit enim hominem per consentanea media ad suum finem consequendum: media autem quibus homo suum finem cõsequitur, sunt virtutes tum morales, tum infusæ: igitur Theologia est directiva omnium virtutum, atque adeo practica.

Matth. 22.

Henricus.
Marfilij.

102. SECUNDA Sententia affirmat. Theologiam nostram esse tantum speculatiuam. Est Henrici in summa ar. 8. q. 3. Marfilij q. 3. Prologi ar. 5. Fundamentum est: quia licet Theologia nostra multa de virtutibus practice disputer, quia tamen hæc ipsa, quæ de virtutibus practice disputat, ordinantur ad speculationem; dirigit enim animum ad virtutes, ut illis acquisitis, liberius possit veram Theologiam speculari; simpliciter dicenda est speculatiua. Confirmatur: Nam sicut è contrario, scientia moralis est practica, etiã si multa de virtutibus speculatiue disputet: eò quod hæc ipsa speculatio dirigitur ad praxim: ita Theologia dici debet speculatiua, esto multa de virtutibus practice tradat; eò quod hæc ipsa ordinantur ad speculationem.

S. Thomas.
Reliqui
Scholastici.

103. TERTIA Sententia docet, Theologiam nostram partim esse speculatiuam, partim practicam: est S. Th. p. p. q. 1. ar. 4. & ferè omnium Scholasticorum in Prologo sententiarum. Dissensio tamen est inter eos, quo pacto Theologia sit speculatiua & practica simul. Aliqui putant hoc conuenire Theologiæ ratione diuersorum habituum partialium, quibus constat: alij ratione vnius eiusdemque indiuisibilis habitus; & hoc vel eminenter, ut Caiet. p. p. q. 1. ar. 4. Medina p. 2. q. 3. a. 5. & alij; Vel formaliter, ut reliqui. Pro cuius Controuersie explicatione,

Caietanus.
Medina.

104. DICO. I. Theologia nostra non est tantum practica, nec tantum speculatiua; sed partim practica, partim speculatiua. Fundamentum est, quia Theologia nostra nec solū agit de rebus operabilibus, nec de speculabilibus solū; sed de vtrisque simul, idq; per se: ergo nec tantum est practica, nec tantum speculatiua; sed partim practica, partim speculatiua. Consequentia constat, quia scientia dicitur practica, vel speculatiua ex obiecto,

& modo, quo de illo tractat; ergo si per se de obiecto tractat modo practico, & speculatiuo simul, non erit tantum practica, nec tantum speculatiua; sed partim practica, partim speculatiua. Antecedens probatur: Nam Theologia per se disputat de ultimo fine, de actibus humanis, de virtutibus, de legibus, de Sacramentis, quatenus hæc omnia hominem dirigunt, & conducunt ad vltimū finem: per se etiam disputat de Deo, ut in se ipso est vnus in essentia, Trinus in personis, & principium omnium operum ad extrā. Atqui priora sunt operabilia, posteriora speculabilia; ergo per se disputat de vtrisque.

105. DICO. 2. non repugnat, quin vnus & idem habitus sit formaliter practicus, & formaliter speculatiuus; quin de facto in Theologia nostra datur aliquis habitus, qui simul sit formaliter practicus & speculatiuus. Primum probo, quia non repugnat, quin aliqua notitia sit, practica & speculatiua simul: ergo nec habitus. Consequentia patet: quia habitus fit ex actibus. Antecedens ostendo I. in cognitione quam Deus habet de creaturis, quæ quatenus eas exprimit secundum proprias notas & naturas, est speculatiua: quatenus verò ostendit modum eas fabrefaciendi, directiuaque est praxeos, est practica: 2. In visione ipsa, quam Beati habent de Deo, quæ quatenus pura cõtemplatio est Diuinæ essentiae, est speculatiua; quatenus verò simul est practicum iudicium de increata bonitate Dei summè diligibili, est practica, sic enim est directiva voluntatis ad amorem erga Deum. 3. à priori. Quia practicum subordinatur speculatiuo: practicum enim est, quod est directiuum praxis: sed hoc non repugnat cum speculatiuo, sed supponit illud, & vterius addit extensionem ad praxim. Quapropter Aristotel. dixit intellectum extensione fieri practicum: Quia nimirum ipsa cognitio speculatiua rei, si vterius extendatur ad modum conficiendi rem ipsam in ordine ad existentiam, fit practica. Igitur non repugnat, quin eadem notitia sit speculatiua, & practica simul.

Aristotel.

106. DICO. 3. cognitio speculatiua includit negationem cognitionis practice: ergo nequit eadem esse practica, & speculatiua simul. Consequentia patet. Antecedens probo: Quia cognitio speculatiua sistit in sola contemplatione veritatis; ergo excludit cognitionem practicam. Confir. Quia, si notitia practica supponeret speculatiuam, nunquam practica cognitio esse posset sine speculatiua: cuius tamen oppositum experimur in opificibus, qui habent notitiam practica de opere faciendo, absque speculatiua de natura & essentia eiusdem. Resp. Distinguendo antecedens: includit permissiue; & concedo: includit impossibilitèr; & nego: sicut materia permissiue includit negationem formæ ignis, quia potest esse sine illa, non autem impossibilitèr, quia non repugnat esse cum illa. Ad probationem antecedentis, distinguo etiam antecedens: sistit

in

in sola contemplatione veritatis, qua speculatiua est; & concedo: quia etiam practica esse potest: & nego. Ad Confir. nego sequelam maioris. Non enim dicimus, notitiam practicam necessarium supponere speculatiuam, sed non repugnare cum illa. Est enim notitia speculatiua cognitio de essentia, & proprietatibus rei, quae non necessarium supponitur ad practicam, quae tantum dicitur de modo operandi: non tamen repugnat esse cum illa.

107. Probata prima parte conclusionis, probatur 2. Nempe quod in nostra Theologia de facto detur aliquis habitus, qui simul sit formaliter practicus & speculatiuus: nam de facto datur aliqua cognitio, quae exprimit naturam rei, & simul dirigit ad praxim; qualis est notitia bonitatis increatae, nec non virtutis, quae simul explicat naturam obiecti, & dirigit ad amorem erga illud. Quod autem talis habitus sit formaliter, & non eminenter speculatiuus & practicus, probatur: quia ille habitus est formaliter speculatiuus & practicus, cui formaliter conuenit ratio speculatiui & practici: atqui huiusmodi habitui formaliter conuenit ratio speculatiui & practici; quia formaliter est notitia veritatis, & simul directio praxis: ergo.

108. Dico 3. Theologia nostra constat ex multis habitibus speculatiuis, & ex multis practicis; atque adeo totaliter sumpta nec simpliciter speculatiua, nec simpliciter practica; sed partim speculatiua, partim practica dici debet: partialiter verò accepta, vel pro habitu tantum speculatiuo, vel pro habitu tantum practico, dici potest, & debet speculatiua, vel practica. Omnia constabunt, si tantum primum assumptum fuerit probatum: illud autem à priori sic probatur. Obiectum Theologiae est Deus tum secundum se, tum ut finis à nobis consequibilis: sed consideratus secundum se necessarium parit habitum speculatiuum; quia ut sic consideratur tantum ratione veritatis à nobis cognoscibilis: consideratus verò ut finis, medijs nostris actibus consequibilis, necessarium parit habitum practicum; aut qui simul sit speculatiuus circa naturam & essentiam tam finis, quam mediou; aut qui tantum sit practicus directiuus tantum mediou ad finem. Nam, ut sic, consideratur ut terminus consequibilis per nostras operationes, & consequenter nostrae operationes habent se ut praxes dirigibiles per habitum Theologicum, ergo Theologia nostra totaliter sumpta habet aliquos habitus pure speculatiuos, aliquos pure practicos, vel simul speculatiuos & practicos, à quibus denominari potest, & debet partim speculatiua, partim practica.

109. Ceterum an debeat appellari magis speculatiua, an magis practica: S. Th. & Thomistae in priorē partem inclinant; alij in posteriorem, ego in neutram: sed censeo illam aequè speculatiuam, ac practica appellandam esse. Fundamentum est: quia Theologia non minus considerat Deum, ut finem consequibilem per humanos actus, quam secundum se, & ut princi-

pium est creaturarum: ergo non minus considerat illum, ut est obiectum virtutis practicae consequibile, quam ut est obiectum virtutis speculatiuae cognoscibile.

110. Ad fundamentum primae nego antecedens: sola enim cognitio Dei ut ultimi finis pro se ordinatur ad consequentiam illius. Ad prob. verò antecedentis, distinguenda est minor: nam omne obiectum à Deo homini reuelatum, ultimatum dirigitur ad consequentiam ultimi finis, ex extrinseca duntaxat intentione reuelantis, non autem ex intrinseca natura, & conditione obiecti, quod tantum spectandum est in ratione practici & speculatiui in scientijs: alioqui ex sola intentione scientis omnis scientia, quantumvis speculatiua, fieri posset practica per extrinsecam duntaxat ordinationem ad praxim. Eodem modo responderetur ad prob. minoris: etenim concedo, obiectum homini à Deo reuelatum, esse scripturam sacram; Nego autem quidquid in scriptura sacra continetur per se, & ex intrinseca natura obiecti, sed solum ex extrinseca intentione reuelantis ordinari ad consequentiam ultimi finis. Ad Confir. nego maiorem, si intelligatur de tota Theologia; quia haec non tantum est directiua virtutum; sed etiam speculatiua Dei.

111. Ad fundamentum secundae, neganda est minor de ordinatione per se, & intrinseca ipsi obiecto: alioqui Ethica, quam multi Prisci Philosophi addiscebant, ut liberius opera naturae contemplaretur, fuisset in ijs habitibus speculatiuis, quia ex intentione ipsorum ordinabatur ad speculationem. Ad Confir. Nego Ethicam ex eo tantum dici simpliciter practicam, quia ea, quae speculatiue in ipsa tractantur ad praxim dirigitur, extrinseca duntaxat intentione scientis, sed quia id postulat natura & conditio ipsius obiecti. Cum enim obiectum scientiae moralis sit virtus: virtus autem magis postulet, ut subiectum perficiat per suum esse reale, quam per suum esse intentionale, cognitio ipsius suapte naturam ordinatur ad praxim, atque ad ipsum reale exercitium virtutis.

SECTIO VII.

An Theologia nostra subalternetur
Theologiae Dei, & beatorum?

112. PRIMA Sententia affirmat. Est Capreolus. preoli q. 1. Prologi conclusio. 2. Caietanus. P. P. q. 1. ar. 2. §. quo ad secundum. Nazarij con- Caietanus. Nazareus. trouersia secundum. Fundamentum est, quia Theologia nostra habet quidquid requiritur ad essentialē rationem subalternationis respectu scientiae Dei & beatorum. Antecedens probant: quia, quod essentialiter ad rationem subalternationis requiritur, est ut subalternata sua principia accipiat à subalternante, ut per continuationem cum illa sortitur rationem scientiae. Sed Theologia nostra sua principia accipit à scientia Dei & Beatorum, & per continuationem cum illa sortitur rationem scientiae; ergo est illi subalternata. Maior est

S. Tho.